



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] hora nona conuenienter taxetur ieunantibus ad comedendum? 7

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

Ad primum ergo dicendum, quod quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari, propter diuersas corporum complexiones: ex quibus contingit, quod vnus maiori, alter minori cibo indiget. Sed, vt plurimum, omnes possunt naturam satisfacere per vnicam comestionem.

Ad secundum dicendum, quod duplex est ieiunium. Vnum quidem naturam, quod requiritur ad eucharistiam sumptionem. Et hoc soluitur per quemlibet potum, etiam aquam, post quem etiam non licet eucharistiam sumere. Est autem aliud ieiunium Ecclesiam, quod dicitur ieiunium ieiunantis. Et illud non soluitur nisi per ea, quae Ecclesia interdiceret intendit instituendo ieiunium. Non autem intendit Ecclesia interdiceret abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet pluries ieiunantibus bibere. Si autem quis immoderate potu utatur, potest peccare, & meritum ieiunij perdere: sicut etiam si immoderate cibum in vna comestione assumat.

Ad tertium dicendum, quod electuaria etiam si aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Vnde non soluunt ieiunium: sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.

ARTIC. VII.

*Utrum hora nona conuenienter taxetur ad comedendum his qui ieiunant?*

**A**D septimum sic proceditur. Videtur, quod hora nona non conuenienter taxetur ad comedendum his qui ieiunant. Status enim noui testamenti est perfectior, quam status veteris testamenti. Sed in veteri testamento ieiunabant vsque ad vesperam. Dicitur enim Leuitici 23, Sabbatum est, affligetis animas vestras. Et postea sequitur, A vespere vsque ad vespe-

712

4 d. 15. q.

3. ar. 3.

q. 31

vesperam celebrabitis sabbatha vestra. Ergo multo magis in nouo testamento ieiunium debet indicique ad vesperam.

¶ 2 Præterea, Ieiunium ab Ecclesia institutum omnibus imponitur. Sed non omnes possunt determinate cognoscere horam nonam. Ergo videtur, quod taxatio horæ nonæ non debeat cadere sub statuto ieiunij.

*ar. prac.  
arg. 1.*

¶ 3 Præterea, Ieiunium est actus virtutis abstinentiæ, vt supra dictum est. Sed virtus moralis non eodem modo accipit medium quo ad omnes: quia quod est multum vni, est paruum alteri, vt dicitur secundo \* Ethicorum. Ergo non debet ieiunantibus taxari hora nona.

*t. 6. to 5.*

*habetur  
de cōs d 1  
s. solent.*

SED contra est, quod concilium Calcedonense dicit \*, In quadragesima nullatenus credendi sunt ieiunare, qui ante manducauerint, quam vesperarum celebretur officium, quod quadragesimali tempore post nonam dicitur. Ergo vsque ad nonam est ieiunandum.

*a. 1 3. 3o*

RESPONDEO dicendum, quod sicut dicitur est, ieiunium ordinatur ad deletionem & inhibitionem culpæ. Vnde oportet quod aliquid addat supra communem consuetudinem: ita tamen quod per hoc non multum natura grauetur. Est autem debita & communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam: tum quia iam videtur esse completa digestio nocturno tempore, naturali calore interiori reuocata propter frigus noctis circumstantis; & diffusio humorum ad summum solis ascensum. Tum etiam quia tunc precipue natura corporis humani indiget iuari conuulsione exteriori aeris calorem, ne humores interiori coarctentur. Et ideo vt ieiunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conueniens hora comedendi taxatur ieiunantibus circa horam nonam. Conuenit etiam ista hora mysterio passionis Christi, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite

re tradidit spiritum . Ieiunantes enim dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur: secundum illud ad Gal. 5. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.

Ad primum ergo dicendum, quod status veteris testamenti comparatur nocti; status verò noui testamenti, diei: secundum illud ad Romanos 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Et ideo in veteri testamento ieiunabant vsque ad noctem, non autem in nouo testamento.

Ad secundum dicendum, quod ad ieiunium requiritur hora determinata, non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem. Sufficit enim quod sit circa horam nonam. Et hoc de facili quilibet cognoscere potest.

Ad tertium dicendum, quod modicum augmentum, vel etiam modicus defectus non multum potest nocere. Non est autem magnum temporis spatium, quod est ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueuerunt, vsque ad horam nonam, quæ ieiunantibus determinatur. Et ideo talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere, cuiuscumque conditionis existat: vel si forte propter infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid huiusmodi, hoc eis in magnum grauamen cederet, esset cum eis in ieiunio dispensandum, vel vt aliquantulum præuenirent horam.

ARTIC. VIII.

*Vtrum conuenienter ieiunantibus interdicitur abstinencia a carnibus, & ouis, & lacticijs?*

Ad octauum sic proceditur. Viderur, quod inconuenienter ieiunantibus interdicitur abstinencia a carnibus, & ouis, & lacticijs\*. Dicitur enim supra, quod ieiunium est institutum ad concupiscentias carnis refræmandas. Sed magis concupiscentiam prouocat potus vini, quam esus carniū. secundum illud Prover. 20. Luxuriosa res est vinum. Et ad Ephesios 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Cum ergo

713  
4. d. 15. q.  
3. ar. 4. q.  
2.  
\* a. 6. h. u.  
in quas.